S. D. G.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYDROPE ASCITE.

QUAM

SUMMO NUMINE FAVENTE

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.

Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd.-Bat. Profeſſoris ordinarii,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

CASPARUS FROWEIN, Schwelmo-Marcanus.

Die 15 Iulii, S. N. locô horiſque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

Ampliſſimis, Spectatiſſimis, Conſultiſſimis Viris.

D. DAVIDI FRIDERICO FROWEINIO, artium Chemicarum & quarumcunque curioſarum æſtimatori eximio, parenti ſuo dilectiſſimo & ad ultimum vitæ terminum venerando.

D. JOANNI ab ESGEN, J. U. D. viro conſultiſſimo expeditiſſimo, avunculo ſuo omni obſervantiæ cultu & honore proſequendo.

UT ET

D. D. Medicæ Facultatis Profeſſoribus in Academia Lugduno - Batava Celeberrimis præceptoribus & Promotoribus ſuis plurimum æſtimandis.

Hanc Diſputationis teſſeram Inauguralem animo grato atque ſubmiſſo offert,

CASPARUS FROWEIN.

Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA.

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ASCITE.

THESIS I.

Quemadmodum in omnibus rebus tàm mechanicis, quam etiam artificialibus perficiendis ordo obſervandus eſt, ſic etiam quoniam animus eſt impræſentiarum dè Hydrope Aſcite breviter quædam verba faciendi, non inconſultum fore duxi (: ne videar me à perverſo incepiſſe ordine:) in ipſo affectus noſtri limine Etymologiam conſiderare, ut nobis deinde eo melius ad cauſas, diagnoſin, prognoſin & tandem curationem ipſam pandatur via. Quod autem Etymologiam attinet, vocabulum Hydrops originem ſuam debet græcis, à nomine ὕδωρ aqua & ὤψ facies, ſpecies. Aſcites vero à nomine ἀσκὸς quod utrem denotat ſeu à verbo ἀσκεῖν utres conficere deſumta denominatione ab utribus quibus abdomen aqua turgidum aſſimilatur. Latinis dicitur aqua intercus, Gallis Hydropisje, Germanis die waſſerſucht / Belgis 't water.

 II. Eſt

I I.

Eſt igitur Hydrops in genere conſideratus nihil aliud quàm humorum lymphaticorum & aqueorum in quacunque corporis parte fere extravaſatorum cum ſatis evidenti tumore ac diſtenſione; præter naturam collectio & ſegregatio.

I I I.

Species ejus variæ ſunt, pro diverſitate enim locorum varia etiam à medicis accepit nomina, nam 1° ubi in capite reperitur cum evidenti laterum ac oſſium cranii à ſe mutuo diſtenſione vocatur Hydrocephalus, 2° ſi in pectore ſeu thorace (: ſub qua ſpecie pertinet etiam hydrops pericardii, ſi nimirum pericardium præternaturali quodam humore ſit obſitum:) dicitur Hydrops pectoris. Tertio ſi denique in infimo ventre cum magna abdominis diſtenſione, uti ſupra diximus, Hydrops Aſcites, cui ſæpè conjungitur diſtenſio ab inflatis inteſtinis, maxime vero cum evidenti quadam murmuratione ac rugitu, appellatur Tympanites, ubi verò in ſcroto, Hernia aquoſa, in utero, & tubis Fallopianis, Hydrops uteri aut tubarum, quando denique in tota corporis ſuperficie, remanentibus poſt digitorum preſſionem veſtigiis, Anaſarca ſive Leucophlegmatia audit.

I V.

His præmiſſis conſiderandæ veniunt differentiæ, diſtinguitur enim Hydrops Aſcites non tantum ratione originis, verum etiam ſecundum gradus, nam alius eſt major alius verò minor, alius recens & ſubito factus, alius è contrario paulatim atque inveteratus, in quo etiam ordinario alvus ſine ulla mora fluere ſolet, quod peſſimum eſt: Quoniam vero impræſentiarum non de Hydrope in genere ſed in ſpecie de Hydrope Aſcite ſumus acturi ſic de generalibus nihil amplius dicentes, conſiderabimus cauſam immediatam, antecedentem & procatarcticam, affectum noſtrum conſtituentes.

V. Cau-

Cauſa immediata ſeu proxima eſt, ſi vas quoddam lymphaticum aut lacteum, vel ureteres aut veſica &c. apertionem habeant præternaturam, & hoc vel vitio ipſorum vaſorum propter teneritatem apertorum, vel culpa laticis machinæ noſtræ vitioſi.

VI.

Cauſæ vero antecedentes hanc extravaſationem facientes ſunt humores quicunque vel acredine ſalina, viſcoſitate nimia, craſſitie, aut materia ſcorbutica peccantes, huc quoque ſpectant, febres ardentes, dè quibus vide Franciſcum de le Boe Sylvium, qui meminit in praxi ſua, ſe vidiſſe quendam intra triduum ex febre ardente propter potum nimium Hydropicum fuiſſe factum, ſic Riverius habet in obſ. 65. cent. 2. in æſtate à frigido potu hydropem & hepatis ſcirrhos fuiſſe generatos, ſic morbi melancholici, menſium ſuppreſſio, aut fluxus nimius, uteri affectus plerique, hæmorrhagiæ nimiæ aut ſuppreſſæ, obſtructio hepatis, lienis, Aſcitis cauſa eſſe poſſunt, imo etiam obſtructio Meſenterii Aſcitem producit, ſi nimirum vaſa meſeraica à pituita viſcida, chylo coagulato, pituita inteſtinali, materia cartilaginea obſtruuntur, quale exemplum nobis non ita dudum in vivo quodam à Clariſſimo D. P. Schacht publicè in noſocomio diſſecto demonſtratum fuit, cujus vaſa meſeraica planè cartilaginibus intus erant obducta. Has obſtructiones ſequuntur durities, ſcirrhus, tumores &c. dè quibus Fabritius Hildanus narrat in centur. tertiæ obſerv. LXII, ſe aperuiſſe cadaver cujus omentum ob glandulas tumefactas habuiſſe pondus 56 librarum: Huc refer quoque Icterum, quatenus obſtructiones facit pertinaces, indeque ſanguinem reddit acriorem, hinc acres & auſteræ particulæ; quando à craſſis humoribus præcipitantur, nec propter rigiditatem qua gaudent, ſuis tubulis ſeu mæandris partium accommodari debitè poſſunt, ſed illis conſtanter infixæ hærent, neceſſario aculeis ſuis prout ſcilicet illæ magis vel minus fuerint rigidæ & acutæ dolorem propter ruptionis metum in mente excitare, tandemque fibrillarum diſſolutionem produ-

cere debent. Vaſis lymphaticis jam à particulis acribus & corroſivis eroſis, vel etiam à craſſis obſtructis, & denique ab inſequentibus à tergo aliis dilaceratis, lympham ſuam in partium cavitates deponunt, ex quâ continua depoſitione, partes tumere, diſtendi & hydropem hunc oriri poſſe nemo negabit.

V I I.

In ſuperioribus accuſavimus lymphæ qualitatem ratione particularum ſc. ſalino-acri-corroſivarum reſtat etiam ut ejus quantitatem conſideremus, quæ dividitur in diminutam & auctam. Diminuta eſt quatenus vaſa lymphatica propter exiguam lymphæ copiam in partibus collabuntur, quando nimirum latera aliâs ſibi oppoſita, ſe mutuo tangunt & agglutinantur, quoniam materia vaſa diſtendens, non ſufficienti copia adeſt; nam ſublata cauſa tollitur effectus, ita enim lymphæ ſemper à tergo inſequenti oſtia præcluduntur, vaſaque lymphatica propter teneritatem ruptionem faciunt. Aucta vero eſt, quatenus hæc vaſa admodum tenella magnum impetum & tumorem, quemadmodum in ſuperioribus de lympha diminuta diximus, patiuntur.

V I I I.

Huc quoque facit Maraſmus ſeu Atrophia, cujus cauſæ eſſe poſſunt vel obſtructio magna tubulorum in partibus ſolidis, ut particulæ nequeant undique ad ipſas augmentandas pervenire, vel acredo humorum corroſiva quæ magis à partium ſtaminibus aufert, quam addit, vel obſtructio multorum vaſorum lacteorum: Cum enim fames in ſcorbuto non raro langueat, propter defectum ſc. proportionati, hoc eſt, ſalino acidi in ventriculo fermenti, hinc alimenta quoque nou benè attenuantur ſive coquuntur, unde debitè fluidus inde reſultare nequit chylus, ſed tenax valdè & craſſus, lacteorum vaſculorum cavitates occludit, & ita ad ſanguinem pervenire non valet, niſi forſan valdè paucus, vel adeſſe poteſt glandularum meſentericarum ſcirrhus, uti antea dictum, hinc itidem chylus impeditur in ſuo ad ſanguine tranſcurſu.

IX. Par-

Particulæ autem acres corroſivæ, quando in articulis partium nervoſarum & membranoſarum hærent, Arthriticos faciunt dolores, quando enim inter fibrillas cerebri cephalalgiam, & inter membranas inteſtini coli, colicam cauſantur &c. hæ vero particulæ aliquando poris partium membranoſarum ita inhærent, ut non niſi intervalla relinquantur exigua, per quæ non niſi materia primi elementi fluere poteſt quæ in illis tunc inflammationem facit. Hoc ſi contigerit in membrana coſtas circumcingente ſive pleura, oritur pleuritis &c. Prout autem membranæ illæ fuerint magis vel minus tenſæ, aut in ſe diſperſos habuerint nervos magis vel minus tenſos, dolor etiam erit magis vel minus auctus, ne autem à propoſito meo aberrare videar, me confero ad alia nempe cauſam remotam.

X.

Enarratis cauſis proximis & antecedentibus, ſequuntur cauſæ procatarcticæ, quas demonſtraturi ſumus ex ſex rebus non naturalibus vulgo dictis, inter quas nobis obviam venit 1. Aër frigidus, nebuloſus, nivoſus, pluvioſus, craſſus, ventoſus, quatenus poros corporis valde obſtruunt, ſanguinemque incraſſant. 2. Cibus & Potus & quod ad cibum, ſi ſc. ſit nimis viſcidus, falſus, craſſus, durus, pinguis, malæque concoctionis, uti ſunt piſces marini ferè quicunque nempe aſellus arefactus, aſellus minor, vulgo **een braucke Schelfiſch** / caro ſuilla imprimis pinguis ſale macerata & fumo indurata, multaque alia chylum vitioſum efficientia: Potus vero culpandus eſt, ſi nimus frigidè aſſumatur, imprimis ubi corpus eſt calefactum, hinc humores incraſſeſcunt parteſque obſtruuntur, huc quoque ſpectant acetum, nimius potus vini generoſi, quatenus humores reddit nimis fluxiles, illoſque, dum in extrema propulit vaſa capillaria, volatiles, qui per inſenſibilem tranſpirationem avolant & poſt ſe caput mortuum relinquunt, quod tunc ob ſuam ſtagnationem acreſcit, poros corporis diſrumpit, veluti in ſuperioribus dè Ictero diximus. 3. Motus & Quies & quoad motum exercitia quæcunque nimia, imprimis inſolita; quatenus ſubtiliores partes

avo-

avolant, craſſiores vero remanent veluti antea; ad quietem, vita ſedentaria ſive otioſa, quatenus reddit humores melancholicos &c. 4. Somnus & Vigiliæ, uti enim ſomnus diuturnus, immoderatus, imprimis in Martio & Aprili ſub dio, quando copioſi exaltantur vapores arſenicales, minerales, uti etiam vigiliæ nimiæ quatenus iiſdem vaporibus depravantur, eſt culpandus. 5. Excreta & Retenta, Excreta ſunt, diarrhææ, hypercatharſes nimiæ, gonorrhææ tam ſimplices quam virulentæ, hæmorrhoidum aut menſium fluxus, hæmorrhagia quæcunque. Huc ſuum etiam tribuit V. S. nimia aut horum nominatorum & ſimilium aliorum Retenta nimia, & denique. 6. Animi Pathemata ſic libido, mæror, ♀, luctus parentum, corculi, liberorum, amicorum nuper mortuorum vel horum exitium, conſideratio non ita dudum facti detrimenti, triſtitia & ejuſdem farinæ alia, quæ Spiritus animales motumque ſanguinis inhibent & imminuunt.

X I.

Dignoſcitur autem Hydrops Aſcites à gravidis, quatenus Hydrope laborantes, tumore diſtenduntur à mammis ad pubem fere uſque æquali, quod contrarium obtinet in gravidis, in his quidem tumor abdominis; ſed inferioris tantum & valdè inæqualis, eorumque mammæ ſunt tumidæ, hydropicorum vero flaccidæ.

X I I.

Dignoſcitur etiam affectus à tympanitide, quod hic ſe non tantum per totius abdominis peripheriam ad hypogaſtrium & extremas pedum ſoleas, verum etiam in partibus ſacris, ſcilicet mulieribus in vulva, viris autem in pene & ſcroto horribibili diſtendat tumore propter, obſtructiones tubulorum aut lympham in illas partes extravaſatam, imo & ab ægris & adſtantibus magnæ exaudiuntur fluctuationes aquarum abdominis ab uno loco in alterum ruentes, imprimis ubi æger ab uno latere in alterum ſe convertit, deinde etiam pulſus crebrior & minor, appetitus proſtratus, ſitis plerumque inexpugnabilis reperitur, quoniam ſignificat humores lymphaticos tanta copia in abdominis cavitatem exonerari, ut inde ſanguis humiditatem ſuam amittat,

in-

indeque nullam fere humiditatem ad os humectandum contineat. Porro adeſt reſpiratio difficilis, quoniam humores in abdomine ob ſtagnationem ſuam fuerunt incraſſati, hinc vapores inde elevati, ac per poros diaphragmatis intro foras in thoracem ſpectantes non libere fluentes, motum illum impediunt propter obſtructionem & hinc anxietas: Pallor verò corporis oritur, quoniam pituita in tubulis hærens, impedit, ut ſanguis ad extrema vaſcula ſuo motu pervenire nequeat. Adeſt quoque partium omnium ſuperiorum maxima (ob febrim hecticam Hydropi Aſciti plerumque conjunctam ſed lentam) Cachexia ſeu Maraſmus & hinc febris lenta, quoniam particulæ iſtæ non multum à ſanguine bono differunt, hinc evenit, ut quandoque etiam remittat hæc febris, imprimis circa veſperam, quoniam tunc particulæ ſanguini commixtæ magis cum illis conveniunt, quàm alio conſtitutionis tempore.

XIII.

Tympanites vero multo firmiore & denſiore ſe oſtendit tumore abdominis, tympani inſtar, unde etiam nomen habet, nulliſque relictis poſt digitorum compreſſionem veſtigiis, quod contrarium in Hydrope Aſcite; deinde etiam horribiles murmurationes rugitus, flatus &c. exaudiuntur, quaſi totum fere corpus eſſet repletum ranis.

XIV.

Eventum hujus morbi periculoſiſſimum curatu difficillimum & chronicum eſſe, imprimis ubi altas egerit radices, ex conſideratione cauſarum procatarcticarum conſtat, hinc cum hydropi ſcirrhus hepatis, lienis, glandularum meſenterii &c. ſit conjunctus, difficillime curari ſolet, vel ſi tandem magnis laboribus adhibitis eum curatum eſſe putamus, renaſcitur, quod lethale eſt, quoniam materia peccans non totaliter ex latibulo ſuo eliminata fuit, ſed aliqua adhuc propter tenacitatem & pertinaciam in tubulis & partibus remanſit, quæ continuo iterum acris reddita, tandem à cauſa quadam evidenti ex latibulo ſuo propulſa hunc dè novo affectum produxit: Hydrops à febribus exor-

tus, non tanti eſt periculi, nec tantæ curationis, quàm ſponte productus, v. g. à nimio potu frigido in corporis ardore contractus, quàm ſi lentè à totius laticis cacochymia oriatur. Sic etiam Aſcites ex perverſo purgantium uſu admodum periculoſus, quemadmodum etiam puſtularum, veſicularum in pedibus hærentium & lympha impletarum excreſcentia, ſignum enim eſt magnum lymphæ copiam in corpore extravaſari vel inſigni gelatina abundare., ſic urina in hydropicis pauca peſſimum; quoniam ſignificat lympham tanta copia extravaſari, ut perductum ordinarium parum tantum fluere queat, poſſem hic quidem plura adferre, ſed ob tempus anguſtum brevitati ſtudens conferam me ad curationem.

X V.

Curatio Hydropis primo inſtituenda eſt ab incidentibus, aperientibus, attenuantibus, deinde purgantibus, phlegmagogis, hydragogis, poſtmodum humorum ſcaturigo & colluvies ſiſtenda, materia viſcida, craſſa, tenax tubulis partium inhærens evacuanda, & denique poſt tubulorum apertionem, pituitæque evacuationem; vaſa iterum ſunt conſolidanda & conglutinanda, viresque interim non imminuendæ, ſed quantum potis eſt multiplicandæ.

X V I.

Medicamenta autem id facientia, ſupradictumque laticem vitioſum corrigentia ſunt incidentia, attenuantia, aperientia, evacuantia, quæ omnia deſumi poſſunt vel ex regno vegetabili, animali vel minerali:

X V I I.

Ex regno itaque vegetabili ſunt ſequentia, Radices chinæ, ſalſæparillæ, ircos florentinæ utriuſque, angelicæ, Galangæ, acori gentianæ, helenii, Zedoariæ, imperatoriæ, ariſtolochiæ, ſcorzoneræ, raphani cujuſcunque, quinque aperientes, &c. Lignum Guajacum, ſaſſafras, nephriticum, colubrinum non carioſum ſed amarum, Cortices horum lignorum, tamariſci, medianæ ſambuci

&

& ebuli, arantiorum, limonum, Folia ſoldanellæ, ſennæ, betulæ, Fructus ſambuci, juniperi, lauri & quicunque alii aperientes diuretici & evacuantes, Herbæ roriſmarini, lavendulæ, menthæ, majoranæ, cochleariæ, meliſſæ, Thymi, ſalviæ, naſturtii utriuſque, rutæ, abſinthii, fumariæ, pulegii, carduibenedicti &c. Semina cujuſcunque generis calida & diuretica; Cremor Tartari ſpiritus Tartari, Tinctura ebuli, gummi lacca, ſagapenum, gutta &c.

XVIII.

Ex regno animali eliguntur oſſa, cornua quæcunque, uti C. C. unicornu, ungulæ equorum, alcis, bovis, cranium humanum imprimis ſal volatile ſpiritus & oleum ex iis diſtillatum, ſal volatile lumbricorum, mumia Alexandrina vera, caſtoreum, ex quibus omnibus ſpiritus ſalia volatilia & olea præparantur, fel viperarum, Tinctura vermium majalium D.D. P. Maets, pulvis bufonum, ſal ex calcinatione bufonum ac eorum oleum, ſtercus caninum vaccinum, hinc aqua omnium florum dicta, caprinum, columbinum, anſerinum, pavonum, ſuillum, ſic urina humana imprimis propria, caprina, leporina &c.

XIX.

Ex regno denique minerali proſunt fere omnia ex Marte præparata, qualia ſunt crocus Martis aperiens, Tinctura Martis cum Tartaro vitriolum Martis, Tinctura ſilicum, regulus Martis, Tinctura florum hæmatitis, ut & Bezoardicum minerale, Antimonium diaphoreticum, Mercurialia, flores Antimonii, cryſtalli ſalis communis dulcis, ſpiritus ſalis dulcis, & innumera alia, ex quibus variæ pro ægrotorum conſtitutione parari poſſunt formulæ:

℞. Radic. ſalſæparill.
chin. ana ℥j.
liquirit. ℥ß.
Raſur. ligni ſanct. ℥j.
ſaſſaf. ℥ij.

Cortic. utriuſque ana ℥vj.
median. ſambuc.
ebuli ana ℥j.
arant.
limon. ana ℥ij.
Summitat. abſinth.
majoran.
meliſſ. ana Mj.
Tartari crudi ℥v.

Coque S. A. in ſ. q. aquæ chalybeatæ, vel in qua ſilices candentes rubris ſtriis fuerunt extincti colaturæ ℥xLv. addendo

Salis fixi geniſt. aut abſinth. ℥j.
Spiritus ſal Armoniaci ℈ij.
Tinctura Martis cum Tartaro ℥ij.
Aquævitæ Matthiol. ℥iß.
antihectic. ℥ij.
M. F. Apozema.

Poſtquam æger hujus apozematis ℥v. ſingulis diebus imprimis mane vacuo ventriculo fuerit uſus, & hoc per dies 7 aut 8 continuaverit, tandem humoribus corporis præparatis, purgatio inſtituenda & quidem hoc modo:

℞. Magiſt. jalapp. gr. iv.
Bezoard. mineral. gr. x.
Mercurii dulcis ℈ß.
Trochiſc. alhand. gr. ij. vel iij.
Syrup. fœnicul. q. ſ.
Olei roriſm. gutt. iij.
M. F. Pilul. No. ix.

His pilulis ab ægro aſſumtis, humoribuſque corpore ejectis, poſtero die ſe iterum ad decoctum ſuperius præſcriptum conferat, hoc vero abſoluto denuo ad purgationem, ſi vero æger ab hoc apozemate propter continuum uſum abhorreat, ipſi præſcribi poteſt vinum medicatum veluti.

℞. Rad.

℞. Rad. Helen.
apii. ana ℥iij.
acor.
angel.
galangæ.
gentian.
ireos florent. ana ℥iß.
Herb. major. meliſſ. thym. hyſſop.
lavendul. ana Mj.

conciſa & contuſa rudi modo includantur ſacculo, hunc mandato vaſi vitreato adde vini generoſi ℥xxv præter propter, vaſeque bene clauſo, ſtent per noctem in loco frigidiore, donec vires aromaticæ fuerint extractæ, deinde bibat æger de hoc vino medicato quater aut quinquies in die, donec fuerit evacuatum, poſtea iterum his ſpeciebus affundatur vinum dè novo ſicut antea, donec vires aromaticæ omnes fuerint extractæ.

X. I. X.

Hiſce medicamentis per tempus aliquod continuatis, humoribuſque corporis aliquando præparatis, incifis, attenuatis, vaſiſque corporis apertis, haud etiam inferioris ordinis erunt medicamenta diaphoretica, inſenſibilem tranſpirationem promoventia, ſimulque phlegmagoga ac diuretica veluti ſequenti modo.

℞. Aqu. menth.
fænicul. ana ℥ij.
theriac. ſimpl. ℥ß.
Croc. martis aperient.
Tartari vitriolat.
Antimonii diaph. ana ℈j.
Sal volatilis oleoſi gutt. xij.
F. Hauſtus.

dè quo æger ſingulis duabus horis ſumat cochl. 1. interim in loco maneat valde calido. Vel

 ℞. Dia-

℞. Diaſcord. Fracaſt. ʒj.
Bezoard. min. gr. xij.
Croci optim. ℈ß.
Syrup. cardbened. q. ſ.
M. F. Bolus ſudorif.

XX.

Æger vero poſt horum uſum levamen ſentiens, ita ut ei ſudor erumpat, maxima curationis pars abſoluta eſt, ſignificat enim poros corporis ita eſſe apertos, ut materia peccans quæ antea latebat in tubulis otioſa potuerit per poros eliminari; interea æger quantum fieri poteſt abſtineat ſe à frigore, uſumque medicamentorum ſupradictorum non ſpernat.

XXI.

Alvo autem ultra modum aſtricta, proſunt quoque medicamenta acria particulis pungentibus & lancinantibus prædita, quæ in poſteriora immiſſa, non tantum fæces alvinas, pituitam in inteſtinis hærentem, humoreſque vitioſos alios expellunt verum etiam obſtructiones pororum inteſtinalium aperiunt, ut eo melius lympha & aqua ex abdomine aliiſque partibus per hæc vaſa aperta in inteſtina poſtmodum ano ejiciantur in quem finem ſit ſequens.

℞. Rad. Bryon. ℥j.
ireos noſtr. ʒvj.
vincetox: ℥j.
Sem. fænicul.
apij. an. ʒiij.

Coque in ſ. q. urinæ pueri vel propriæ in colatura diſſolve.

Pulp. caſſ. fiſtular. ℥iß.
mellis deſpumat. ℥ß.
Olei camomill. gutt. vj.
M. F. Clyſter.

XXII. Ex-

Externè ad poros corporis aperiendos conveniunt etiam fomenta vel ex animalium ſupradictorum excrementis comparata, vel ex herbis, veluti etiam proſunt linimenta, unguenta, & omnia poros corporis aperientia, ætheremque peregrinum in corpore exiſtentem deſtruentia, quæque ſuis fermentationibus & alterationibus in partibus exterioribus ſibi poros alio modo conformant, ut hac mediante apertione, æther peregrinus corpus perambulans loco ſuo deturbetur, aliuſque naturæ magis conveniens introducatur, medicamenta autem id facientia ſunt ea quæ ſal. volatilibus & alcalicis prædita ſunt particulis penetrantibus, nimirum excrementa plerumque ex regno vegetabili & animali, quædam etiam ex minerali deſumta dè quibus ſupra ſatis dictum, quod autem linimenta & unguenta attinet ſunt oleum dè lateribus, vulpinum, nervinum, martiatum, de arthanita, Agrippæ Regis, ſed additis ſemper (quod bene notandum) medicamentis ſeu ſalibus ſtimulum promoventibus & fermentationem introducentibus veluti.

℞. Stercor. vaccin. ℥ß
ovill.
columb.
pavon. a. ʒij
Flor. Sambuc.
chamæmill. an. Mij
Radic. 5. aperient. an. ʒij
bryon. ℥j
Semin. cumin.
Baccar. laur. an. ℥ß
Mellis
Farin. fabar. an. ℥iß
Sulphuris vivi ℥ß
Nitri ʒij

Coqu. in ſ. q. aquæ & vini an. ad conſiſtentiam cataplaſmatis, imponatur abdomini tàm calide, quam æger illud ferre poſſit. Vel

℞. Un

℞. Unguent. Agripp. ℥ß
de arthan.
de lateribus an. ℥j
Theriac. ʒij
Croci optim.
Spiritus ſal armoniaci an. ℈ß
Pulv. bufonum ʒß
Ol. ſcorpion. ʒiß
M. F. Unguentum.

De quo ſingulis diebus bis aliquid ſumatur & abdomen inungatur ſed per frictiones validas prope ignem.

X X I I I.

Ad ſitim vero & febrim hecticam (: unde partium ſuperiorum maraſmus:) extinguendam & mitigandam, hujus morbi ſymptomata quaſi præcipua, conveniunt medicamenta poros corporis aperientia, incidentia, ætheremque ſanguini aliiſque partibus convenientem introducentia, hoſtemque peregrinum eliminantia, qualia ſunt regulus medicinalis Cl. D. P. Maëts, lapides cancrorum, corallia utriuſque generis, margaritæ, & quæcunque alia febrifuga &c. ſed quia curatio hujus dependet à curatione præcedentis, ſic dè eo nulla amplius facturi ſumus verba, illud tantum dicendo quod quoniam ſitis in hoc morbo admodum pertinax eſt non tantum ratione vaſorum obſtructorum, verum etiam ob defectum in ſanguine humiditatis, ægro propinari poſſint julapia, ſeu medicamenta non tantum poros linguæ aperientia, verum etiam ob frigiditatem ſitim ſiſtentia, uti ſunt lapis prunellæ, ſpiritus ſalis dulcis, nitri, vitrioli, Sulphuris p. c. Spiritusvini camphoratus &c.

X X I V.

Morbo autem declinante, humoribuſque corporis tàm per diuretica & diaphoretica quam etiam purgantia eliminatis, vaſa præter naturam aperta & rupta ſenſim ſunt conſolidanda, agglutinanda, & confortanda per emollientia gummatoſa, balſamica

mica ut ſunt gummi ammoniacum, terebinthina lota, maſtich. thuſ. myrrh. labdan. &c. Confortanda per aromatica & Diætam commodam.

X X V.

In diæta vero nihil obſervandum reſtat, quàm ut æger ſe modicè in omnibus gerat, quod commode fieri poteſt, ſi modo recte conſiderat uſum rerum 6 non naturalium, quemadmodum etiam in ſuperioribus diximus, veluti Aër ſit amænus, tenuis, ſplendens, & non ad frigus propendens, quoniam poros antea apertos ſuo frigore iterum obſtrueret, hoſtemque magis crudelem quam antea introduceret 2. cibi ſint molles, levis fermentationis, boni ſaporis & ſucci, ita ut laudabilis ex illis chylus comparari poſſit, è contrario craſſi, duri, viſcoſi, ſalſi, acido-auſteri; crudi &c. angue pejus ſunt vitandi 3. potus ſit paucus & tenuis, 4. motus & quies non ultra limites, 5. ſomnus & vigiliæ modicè ſe hâbeant, 6. excreta gradum non excedentia ſunt admittenda, è contrario Retenta nullo modo 7. animi pathemata ſint hilaritati dedita, huc etiam ſuum contribuunt quæcunque hominem ad gaudium excitant, veluti conſortium jucundum, voluptas legendi, ludendi, eundi, ſtudendi, & hujus farinæ alia modum non excedentia.

X X V I.

Morbo denique his omnibus medicamentis ex tribus illis regnis ſupradictis deſumtis, propter pertinaciam non auſcultante, omnique curatione exiſtente fruſtranea, paracenteſis inſtituenda eſt tribus ſecundum latitudinem præter propter digitis ſub umbilico, eductiſque libris duabus aquæ in abdomine contentæ, inſtrumentum eſt extrahendum & ſolummodo plumaceolum ſiccum filo alligatum cum emplaſtro glutinante vulneri eſt applicandum, ut fluxus aquæ impediatur, ſed bene notandum, quod vulnus debeat illini balſamo ſulphuris ſuccinato, inflammatione vero accedente ſaccharum ſaturni adhibendum, hoc facto, pro virium ægrotantis conſideratione per duos, tres pluresve dies eſt exſpectandum antequam iterum inſtituatur, dein-

de foramen illud eſt reſerandum ; aut aliud pro commoditate chirurgi eſt faciendum : Quoniam vero plurimis hæc curatio videatur periculoſa, quod ipſemet non nego, multos tamen per hanc operationem fuiſſe liberatos, nemo etiam negabit, propterea melius eſſe in caſu deſperato remedium aliquod dubium adhibere, quàm certam exſpectare perniciem.

COROLLARIA.

I.

Certa quædam virginitatis ſigna ſtatuere, quemadmodum multi faciunt, falſum.

II.

Venæ quod pulſent, Clariſſimum eſt.

III.

Eryſipelatis ſeu inflammationis cauſam ſanguini tantum tribuere, malum.

IV.

Viros quoque menſtruis laborare, minime abſurdum.

V.

Omnia animalia ex ovis generari affirmamus.

VI. *Ho-*

VI.

Homines qui multis particulis craſſis & terreſtribus, magis in ira metuendi, quam qui multis volatilibus ſunt donati.

VII.

Infimi ventris partes facilius gangræna affici ſuperioribus, affirmamus.

VIII.

Variatio lunæ tam facit ad microcoſmum quam macrocoſmum.

IX.

Ex quacunque ſoluta unitate dolores fieri in propriis iſtis partibus tantum, minime ſtatuendum.

X.

Homines magna pineali glandula præditi, ſtupidiores ſunt aliis.

XI.

Eſſentiam, tincturam, ſive oleum ſibi ex fæcibus vini tantum addita herba quadam per deſtillationem comparare, eique tantam vim adſcribere quan-

quantam authores, eſt oleum & operam perdere.

XII.

Saccharum corpori humano valdè, imprimis morbis pectoris laboranti, pernicioſum.

XIII.

Elementa ſecundum vulgum dari, quanquam in ſuperioribus vocabulo iſto cum vulgo ſimus uſi, negamus.

FINIS.